MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81600-17

AUTHOR:

GOBEL, ANTON

TITLE:

IUVENALIANA UND PERSIANA

PLACE:

BERLIN

DATE:

1859

Master Negative #

93-81600-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87J97
DZ6

Goebel, Anton, 1824-
...Iuvenaliana und Persiana aus einer Wiener pergament-handschrift des X. jahrhunderts... Berlin, Lange, 1859.
18 p. 25 cm.

At head of title: XXXVIII. Jahresbericht über das Königliche katholische gymnasium in Konitz... mit welchem zu der öffentlichen prüfung... ergebenst einladet... Dr. Anton Goebel...

128642

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7-1993 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

XXXVIII.

Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium in Konitz

in dem Schuljahre 1858—1859,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 16. August und zu den Schlussfeierlichkeiten am 17. August 1859

ergebenst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Anton Goebel.

Voran gehen IUVENALIANA und PERSIANA aus einer Wiener Pergament-Handschrift des X. Jahrhunderts. Von demselben.

Berlin.
Buchdruckerei von Gustav Lange, Friedrichsstrasse 103.
1859.

I.

LECTIONES IUVENALIANAE.

In codice saeculi decimi illo Vindobonensi splendidissimo, de quo pluribus in *Philolog.* vol. XIV p. 170 ss. et p. 379 ss. disputavi, Persium Iuvenalis excipit: cuius lectiones, postquam Persianas publici iuris iam feci, nunc recensere liceat. Nam Iuvenalis exemplar, quanquam non ex eodem fonte quo Persius fluxit — id quod cum aliis documentis tum eo quod tituli desunt satis probatur —, tamen nihilo minus dignum est quod ab iis qui hunc scriptorem edendum curant accurate diligenterque conferatur. Etenim codici Pithoeano sive Budensi illam auctoritatem qua eum ornare velint viri docti, ut quasi una norma sit atque regula ad quam omnium iudicia de Iuvenalis verbis dirigantur, nequaquam esse vindicandam id et argumentis gravissimis nuper Adolphus Haeckermann docuit et recensione longe antiquissima in lucem a me prolata comprobatum esse etiamnunc mihi quidem videtur, cum quae contra eam criticus Lipsiensis (in *litter. Centralbl.* No. 24) nuper dixit neque sine ira et studio dicta esse pateat et argumentis nitantur speciosis quidem sed iis quae accuratius ponderata ad irritum cadant*). Verumenimvero, utut haec se res habet, quo iure Otto Iahn haud paucos *vulgatae* recensionis libros secernit et singularem eorum rationem habet eodem et ille decimi saeculi liber respiciendus est; nam quibus rebus illi iisdem et codex Vindobonensis insignis est, imo etiam multis praestat. Nam

1. scripturas servavit vetustissimas ac genuinas permultas; exemplo sint: *totiens, quotiens — cum, locuntur — milia, milibus, belua, uilicus — quattuor, litus — cumba, quadruuium — caelum, caenare, caena, obscenus, fenum, heres — temptare, emptus,*

---

*) Criticus ille artis suae leges perturbans non aliter egit ac si meae essent coniecturae quae a me explicantur lectiones neque vero ex codice archetypo, quo vetustior et fide dignior ad hunc usque diem demonstratus est nullus, originem repeterent. Sed fac meras fuisse coniecturas, qua de causa leviores tantum lectiones impugnavit, de gravioribus veluti *Appiades* V 38, *seruo* III 131 etc. nihil omnino dixit? Cur lectiones illas quae Ottonis Iahn coniecturas comprobant omnes ratas esse iubet? Quid? Horatianum illud ‚*Pastor cum traheret* . . . . *Helenen*' nonne adversus ea faciunt quae irrisor ille contra '*tracta* . . . . *lupa*' protulit? An illic de vi cogitandum est? Et cum Latini dicant *falsum facere, committere, falsi reus,* equidem non video quidni dici potuerit *signator falsi (der Unterfertiger eines Falsums), falsum signare,* quanquam praeter Iuvenalianum locum habeo nullum. Quae alia notavit vir doctus eo redeunt ut dicat: „tibi quidem ista, mihi autem haec placent." At vero non meae sunt illae lectiones, sed libri fide dignissimi archetypi, quem antiquissimo tempore descriptum esse ipse agnovit.

Pomptinus, *contempno*, *consumpsi* — *neglego*, *intellego* — *harena* — *conuitia*, alia multa; adde quod assimilatio quam vocant saepissime neglegitur: *inputo*, *inperfectus*, *inprouidus* etc.; adde acc. plur. *trementis* II 94.

2. Librario non unum tantum exemplar vetustum praesto fuit; nam saepius diversas lectiones adnotat: I 106 *purpurae amator*, supra: *l . . . a mollis* i. e. *uel purpura mollis* — I 131 *notandum: uel non tantum* — I 131 *meiere: uel mingere* | II 84 *domo: uel domi* — III 271 *cadent: uel cadant* — V 15 *raro*: *uel rarum* — V 126 *foras*: *uel foris* — V 168 *nos: uel uos.* Alia.

3. Exhibet lectiones haud paucas quae in nullo alio libro inveniri videantur. Documento sint angusti spatii sat. I 103—131 lectiones haece: 103 *dubitem timeamue* — 106 *purpura mollis* — 110 *non cedat* — 123 *pallidus* — 131 *notandum.*

Quae cum ita sint, liber ille saeculi *decimi* minime neglegendus videtur esse; et vehementer doleo quod totum librum, cum Vindobonae versabar, conferre et scholia Iuvenaliana quae in eo exstant nondum edita describere temporis angustiis prohibebar; sed ut alii animum, si fieri possit, in illum intendant efficere nunc conabor, satirarum librum primum et satiram decimam sextam recensurus. Adnotabo autem, cum cod. Vindobonensis cum optimis vulgatae recensionis libris fere consentiat eosque potissimum editio Haeckermanniana sequatur, lectiones tantum ab hac discrepantes.

I. 2 totiens *semper* | 5 Thelephus | 8 eoliis | 9 Uulcani | 10 Eacus | 11 monicus | 13 Semper ego et | 16 syllae | 18 cartae | 22 Cum *semper* | meuia thuscum | 24 *et* 25 *om.* | 26 canobi | 30 satyram | 36 tymele | 44 lucdunensem | rethor | 46 premit | 53 laberinthi | 61 authomedon | 64 Quadruuio | 65 pene | 66 mecenate | 68 fecerit | 71 lucusta | 72 populos | 83 animas | 84 pyrra | 85 Quicquid | 88 *om.* | 95 caenauit: *nusquam in eiusdem originis vocabulis* oe | 95 nec *man. 1*, nunc *m. 2* | 98 et falso | 103 Cur dubitem timeamue | 104 eufratem | 106 purpurae amator, *supra*: uel purpura mollis | 109 licinus | 110 non cedat | 113 pec*unia | 123 pallidus | 124 clusam | 131 notandum, *supra:* uel non tantum | meiere, *supra:* uel mingere | 142 presens | 145 Et | 150 dicat | 152 quocumque | 154 mutius | 155 tigillinum | 157 harena | 161 uerum | 164 ylas | 165 quotiens *semper* | 170 Penitet —

II. 2 addent | 3 bachinalia | 5 Chrisippi | 6 aristotelē | 7 cloantas | 9 obscenis | 10 cynedos | 12 laeui | 16 ingenuae | 17 Inputo | 22 uafillus | 24 *om.* | 25 caelum: *semper* ae | 28 syllae | ci *man. 1*, si *m. 2* | ducant *man. 1*, discant *m. 2* | 29 tragico nuper | 35 Contempnunt: *nusquam sine* p | 36 quendam | 38 surridens | 51 causas agimus | 55 pregnantem | 57 pelex | 58 inpleuerit | 61 archana | chilindros | 68 polliucas | 69 carphinia | 76 multitia | 84 domo, *supra:* uel domi | 86 tenere | 92 Cicropeam | babtae | cocyton | 95 trementis | 97 Cerulea | 100 aruncis polium | 106 Bebriaci campos polium | 109 Mesta | 111 cybiles | 116 abscidere | 117 grachus | 121 aruspice | 124 flammea | 125 Archano | 126 clipeis | 131 quaeris | 132 negleges | 137 heret | 141 pixide lide | 142 Non | prebere | 143 gracci | 144 harenam | 146 paulisque | 150 stigio | 151 milia | cumba | 152 credent pueri | 154 Scipiade | 155 cremere | 158 tedis | 161 Orchadas | 164 zalaces | ephoebis | 166 commertia | 168 non nunquam | 169 bracae —

III. 3 sybillae | 5 prochitam | 11 mediamque | 14 Iudeis | cophinos fenumque | 18 prestantius | 19 uiridis imargine | 20 tofum | 25 dedalus | 26 canicies | 28 bacisto | 29 arcturius | 31 Quis | edem | 34 harenae | 44 nunquam, *ubique* n | 47 tanquam, *ubique* n | 50 Estuat | 51 unquam, *ubique* n | 53 uerre | 55 harena | 58 Quae non | 59 faciam | 61 Grecam | fecis achei | 62 in tyberim syrus | 63 cordas | 64 timpana | 67 rechedipna | 68 nicheteria | 69 sicione | 71 Esquialas | 74 iseo | 76 rethor | 77 scenobates | 78 Greculus | 80 athaenis | 81 conchilia | 82 Signauit | thoro | recumbit | 83 contana | 89 antheum | 99 hocmo; *supra legitur scholion hoc*: „hocmum graece, pronuntiacio latine." [ὠγμός?] | 103 estuo | 109 nihil aut ab | 114 cepit: e *cum caud.* | grecorum | 118 penna | 120 erimacus | 128 inpellat | 129 dudum iubeat | 130 mediam *m. 1*, modiam *corr.* | 131 cludit | 134 ac tu | 135 uestitu | 138 idei | 141 Questio | 142 parobside *m. 1*, parabside *m. 2* | 145 aras *in litura* | 146 diis | 147 prebet | 148 feda: e *cum caud.* | 154 surgat: sur *in rasura* | 155 res *in ras.* | 158 Pennirapi | iuuenemque | 173 teathro | 181 archa | 187 libris | illud | 188 prestant | 189 peculia *in ras.* | 195 cū texit | 205 cantarus | 206 grecos | 210 frusta | 212 asturi | 216 inpensas | 217 Hic quid | eufranoris | policleti | 218 Foecasianorum | 219 torulas | 223 sore | 224 fabricateriae | paretur | 226 recte | 228 uilicus | 232 ipsum | 233 inperfectus | 236 arto | 237 conuitia | 238 caedente (e *cum caud.*) | 244 Unda prior populi, magno premit | 246 lignum | 247 a planta | 254 sertae. modo longa | 255 Serraco | 256 alte | 263 Striglibus | 265 nouitius | 269 spacium | 271 cadent, *supra:* uel cadant | 272 ledant | 273 inprouidus | 275 pretereunte | 277 pulues | 283 lena | 285 preterea | 286 et breue | 288 premia: e *cum caud.* | 293 concha | 295 respondens | 296 proseuca | 297 temptes | tacitusq; | 298 Tantundem | 307 pomptina | 309 Quam | 319 reddit | 320 eluinam | 321 satyrarum —

IV. 1 et est mihi sepe | 4 aspernatur | 7 emerit: e *cum caud.* | 15 milibus | 17 locuntur | 19 Praecipiam | ceram: e *cum caud.* | 22 expectes | 26 prouintia | 28 gluttisse | 31 palatu | 39 spacium | rombi | 40 accon | 41 Inpleuitque | 42 meotica | 43 hostia | 45 cimbae | 50 ducere | 53 parfurio | 54 Quicquid | est *om.* | 56 loetifero | 60 quanquam, *semper* n | 68 rombum | 71 diis | 78 tum | hic quorum | 81 Iusticia | iocunda | 85 ferre | 88 factum | 91 inpendere | 94 alitius | 96 iam destinata | 99 comminus | 101 intellegat | 103 inponere | 106 satyram | cynedo | 112 proelia | 113 ueniento *m. 1*, ueianto (?) *corr.* | 119 rombum | 120 leuum | 121. 127 belua | 125 clari magnique | 129 rumbi | 132 spaciosum | 135 tegulae | 141 rutupinoq; | 145 Consilio | 149 penna | 151 seuitiae | clarus *m. 1*, claras *m. 2* | 152 inpune —

V. 15 raro, *supra*: uel rarū | 21 turba iam *m. 1*, iam turba *corr.* | 23 serraca | 24 unum | 29 lagoena | 32 ciatum | 38 Aeliadum | berillos | 39 Byrro | phyalas | 41 numerat, *supra* e *h. e.* numeret | ungues obseruet | 43 uyrro | 44 uagine | 45 iarbae | 47 quattuor | 48 feruet domini | cyboque | 53 Getulus | 55 latine | 59 getulum | ganimedem | 60 milibus | 72 AΡΤΟΚΟΠΗ | 73 Inprobulum | 75 Inpleri | 76 sepe | 79 penula | 81 suilla | 83 Dum uenit | 84 gammarus | 90 boccare | 92 domini | 93 Taurominitanae | 97 prouintia | 99 murena | 100 se *om.* | aster | 102 caribdin | 106 criptam | 109 cocta | 110 nanque | 112 et face *m. 1*, hoc face *m. 2* | 115 ferro dignus | 117 faciunt | 118 aledius |

119 libia | 121 chironomonta | 126 foras, *supra:* uel foris | temptaueris | 130 regibile | 131 lena | 132 diis | 133 homuntio | 134 quantus fieres | 136 prestat | 140 Iucondum | 141 mycole | 143 torata | 151 pheacum | 155 hyrsuta | 156 inpensae | 157 comedia: e *cum caud.* | 158 Quis plorante gula melior | 165 nudus *m. 1*, nodus *m. 2* | 168 nos, *supra:* uel uos —

XVI. 1 galle, e *cum caud.* | 3 tyronem | 5 commendat | 6 harena | 8 erit si te | 19 iuste | 20 inmica omnisque | 21 officiunt | curabitis | 22 et grauior | 23 mutinensis | 24 to caligatos | 25 Milia | 30 qui uidit | 41 cyrographa | 43 tum | 44 Tedia | 45 lucernas | 46 Cedicio | 47 harena | 53 Militibus | 56 aequs | *versus* 40 *repetitur* 61.

Inter has lectiones plerasque per se ponderatas ponderis haud magni esse non est quod moneam; at plurimi interesse eas omnes in conspectu habere, quo melius quae cognatio nostro codici cum optimis vulgatae recensionis libris intercedat cognoscatur, nemo huius rei peritus ignorat.

II.

DE SCHOLIIS PERSIANIS, QUALIA IN CODICE VINDOBONENSI SAECULI X. EXSTENT.

Lectiones Persianas codicis eiusdem ex quo nunc lectiones Iuvenalianas in conspectu proposui in *Philologo* (vol. XIV. p. 170 ss. et 379 ss.) recensenti mihi tanquam in praetereundo disputandum iam fuit de scholiis quibus Persius Vindobonensis illustratur. Ubi quanquam id effecisse mihi videor ut permulti quidem eorum qui illi scriptori omnium obscurissimo operam dant legendo scholia Vindobonensia multo vetustioris esse originis quam quae feruntur Cornuti nescio cuius nomine persuasum habeant: tamen, si alios, qui, postquam Otto Iahn, clarissimus ille vir, bibliothecis fere innumeris perlustratis Persium una cum scholiis Pseudo-Cornuti edidit, nihil quod cognitu dignum sit ab illo relictum esse pro certo habere videantur, respicio atque intueor: vehementer vereor ne res, nimis breviter ibi exposita, pluribus etiam exemplis ac documentis probanda sit, ut cuique, qui quidem videre velit, luce clarius fiat scholiorum Persianorum recensionem eam quae falso Cornuti nomine ornetur nec aeque vetustam nec aeque bonam esse atque eam quae hucusque in bibliotheca caes. reg. Vindobonensi delituerit.

1) Primum igitur notandum est Persium illum Vindobonensem una cum scholiis ex vetustissimo exemplari, in quo vel ipsa scholia litteris uncialibus quae vocantur descripta fuerint, repetere originem. Documento est praeter alia hoc, quod librarius scholion aliquod, quod supra versum 93. satirae III. scriptum invenit:

VERBA MEDICI AD EGROTVM QVE OSTENDVNT NON FINITVM ESSE DOLOREM

ut titulum novi carminis supra versum 94. eodem modo scripsit quo ceteros dumtaxat titulos h. e. litteris uncialibus, non minutis.

2) Qua de causa non mirum est quod permultae scripturae antiquiores in scholiis Vindobonensibus supersunt, veluti: *cotidie (cottidie)*, *cotidianus*, *eculeus*, *cocus* — *oboedire*, *paenitentia*, *cena*, *caelum*, *hedus*, *mestus* etc. — *obicio*, *deicio*, *proicio*, *inicio* etc. — *temptare*, *contempno*, *consumpsi* etc. — *littera*, *quattuor*, *litus* — *neglego*, *intellego* — *milia* etc. — *harena*, *holus* etc. — *urguere* etc. — *quotiens* etc. *Cf. Philol. l. l.*

3) Neque deformatur liber Vindobonensis rebus medii aevi explicatis, quibus abundat Cornutus: nimirum scholia Vindobonensia non sunt istius aetatis qua orta sunt Cornuti scholia qualia e. g. leguntur ad I 15: *Barbitondium est tonsurae genus, quo iuvenes tondentur, unde sic tonsi pexibarbi vocantur. Cuius rei meminit Virgilius: „candidior postquam tondenti barba metebat"* — vel IV 49: *Vibicem dicimus genus arboris lentae, quod vulgus biduvium vocat* — vel I 58: *Pinsit, dixit assidue percussit. Dictum a pistoribus. Pilo enim apud veteres frumenta tundebantur: unde et pistores dicti sunt, quasi pinsores a pinsendo vel a pindendo. Pindo enim id est ferio, unde et pistillum dicimus, quo terimus in mortario* — vel. II 30 *lactidiatum dicimus, qui male sit calce percussus* — et quae alia id genus sunt.

Tale nihil in libro Vindobonensi. At I 106, ubi Cornutus, vocabulum *plutei* explicans, haec habet: *Lecticae sive plutei lecti. Sponda est exterior pars lecti, pluteus interior* (idem iam ad vs. 52. adnotaverat), Vindobonensis autem multo melius uno vocabulo ‚*scamnum*' supra scripto poetam interpretatur, adicit Vindob. ‚uel bancam', unde quispiam forsitan concluserit recentiorem eo scholiorum originem demonstrari. At hercle longe erraverit iste, *glossularum* quae vocantur in libris manuscriptis exstantium originem atque conditionem non intellegens. Librarius enim posterior haud raro de suis unum alterumve illis vocabulum adiecit, sicuti in alio quodam libro membranaceo Vindobonensi saeculi XI. (Endlicher Catal. CCXXIV) crebra vocabula saeculi XI. germanica adscripta exstant. Haud aliter nostro loco librarius decimi saeculi ad explicandum scamnum addidit de suis ‚uel bancam.' Ita V 76 habet ad *agaso* ‚mariscalcus, *mulio*.'

4) Posteriorum temporum commentaria luxuriantur quodammodo locis antiquorum scriptorum laudatis, ita tamen ut saepissime loci minime quadrent et ad rem explicandam nihil pertineant. Cadit hoc vitium in Cornutum; vide sis II 6: ‚*Humilesque susurros' pro iis, qui humiliter fundunt humiles susurros. Ut Virgilius: „Per gentes humilis stravit pavor" id est, qui est humilium animorum.* In Vindobonensi legitur: ‚pro cis qui fundunt humiles susurros.' — II 25 ‚*Sulfure' autem pro fulmine. Ex eo enim, quod sequitur, intelligitur quod praecedit. Fulmen enim praecedit, sulfur sequitur, ut Virgilius: „Et circum late loca sulfure fumant", quia, dum fulmen ceciderit, loca vicina odore sulfuris implentur. Unde ‚sacrum' dixit.* In Vindob. ‚Sulfure, fulmine. Ex eo quod sequitur, intelligitur quod praecedit. Fulmen praecedit sulfur.' — II 66: ‚*Haec baccam conchae rasisse' pro radere margaritas de conchis marinis. Uniones enim nascuntur in conchis, pro quibus baccas posuit, ut Horatius: „quaerunt unionibus onusta baccis". Bacca ergo gemmae genus, quod in conchis nascitur.* Nihil apud Horatium

de unionibus, nam legitur: „Quae rotundioribus onusta bacis". In Vindob. ‚Uniones nascuntur in conchis, pro quibus bacam dicit'. — III 46 *‚Insano magistro' id est nimis sano, ut est illud Virgilii „insanam vatem aspicies" pro valde sanam.* — Eodem modo etiam III 5 locus Vergilianus intellegitur: . . . *aut certe insanam, nimiam ut Virgilius: „insanam vatem".* In Vindob. nihil de insana vate; melius videlicet scholiorum Vindobonensium compositor locum Vergilii intellexit.

Sed fastidit locos omnes rescribere quibus nimia illa orationis luxuries, ne dicam, insulsitas occurrit. Laudantur autem tanquam auctores ii potissimum scriptores qui medio aevo vulgo legebantur: Vergilius, Horatius, Iuvenalis. Cf. Schol. Cornut. ed. Iahn I 11. 14. 17. 18. 29. 54. 73. 74. 92. 97. 101, II 5. 6. 25. 36. 64, III 3. 5. 6. 21. 51. 59. 66. 70. 74. 80. 89. 99. 103, IV 13., V 22. 41. 47. 48. 53. 56, VI 4. 9. 30. 33. 44. 45. 47 etc. (Vergil.). — I 11. 14. 28. 40. 43. 70. 101. 106. 110. 123, II 1. 2. 3. 14. 66. 75, III 21. 28. 31. 70. 93. 114. 115, IV 17. 37, V 10. 22. 48. 52. 54. 55. 106. 108. 147. 153. 161, VI 4. 22 (Horat.) — I 21. 70. 110, II 24. 33. 53, III 98, IV 18, V 31 (Iuvenal.). Praeter hos, quanquam minus saepe, laudantur etiam Ovidius et Terentius. Plurimi autem locorum illorum nihil ad res explicandas valent, imo fere risum movent. Prorsus aliter in recensione Vindobonensi. Quisquis eius auctor, non ostentat ille (qui monachorum medii aevi mos erat) lectionis copiam, quanquam et ipsum multum legisse apparet, e. g. satirae tertiae versui 84. *de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti* adscripsit ille ‚Lucretius'; Cornutus non fecit. Alias scholiasta Vindobonensis locos poetarum adhibet neque auctores nominat (I 18. 31, III 21 etc. etc.), procul dubio, sicut ipsi, et aliis locos illos notissimos esse suspicatus.

5) Nusquam vero scholiasta noster ad Iuvenalem respicit, quem Cornutus saepius laudat. Adde quod Cornutum haud raro eadem fere scholia quae ad Iuvenalem ferantur exhibere Otto Iahn demonstravit. Unde cum eiusdem auctoris ea esse conici liceat, Cornuti scholia Persiana posterioris esse temporis quam Vindobonensia efficitur. Idem concludendum est inde, quod Cornutus multa profert quae eadem apud Isidorum leguntur; nam vix statuendum esse Isidorum hausisse ex Cornuti fontibus satis probavisse videtur Otto Iahn in Prolegg. — Cf. Philol. XIV p. 385.

6) Neque scholiastam Vindobonensem Cornuto prioris aetatis esse ex eo colligere non potes, quod utique lectores suos etiam aliquid scientiae vel adeptos esse vel habere ille quidem existimat, contra Cornutus veluti ad homines litterarum Romanarum omnino ignaros et tempore ab antiquitate longe alieno viventes loquitur atque exponit. Documento sint pauca exempla.

Cornut. I 12: *Cachinno autem dupliciter exponitur. Si quidem nomen est et verbum: nomen est, cum per casus inflectitur, ut hic cachinno, huius cachinnonis, quomodo leno lenonis, palpo palponis. Est et verbum, cum per modos et tempora declinatur, ut cachinno, cachinnas, cachinnat, et facit cachinnor, ab eo, quod est rideo.* — Vindob. ‚Cachinno nomen est et uerbum.'

I 92. Vindobonensis nominat tantum versum *spondiazonta*; qualis sit hic versus non exponit; at Cornutus copiose explicat et ad I 92: *si versus spondaicos*

ponunt, duobus ultimis spondeis claudentibus, ut Virgilius: „cornua velatarum obvertimus antennarum" et dissyllabo spondeo terminant — et ad I 95: *Sic longo versui i. e. heroico, qui prolixior est, costam, id est, syllabam subduximus, et fecimus molliorem versum* σπονδαίζοντα, *ut est Apennino una syllaba sublata. Costam dicit et molliorem versum factum, quod feminae dicantur una costa minus nasci. Omnia epicorum carmina ite fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos spondaizontas appellant, ut apud Cornelium Severum: „Pinea frondosi coma murmurat Apennini." Ex dactylo enim, qui tribus syllabis constat, transit in spondeum detracta syllaba una, pro qua costam dixit.* — Pro quibus in Vindobonensi haec leguntur: ‚Si costam subduximus longo versu, id est syllabam, et fecimus meliorem spondiazontem ut est appennino. Sic feminae dicuntur molles eo quod una costa minus nascuntur. Sic apud Cornelium Seuerum: „Pinea frondosi coma murmurat Appennini?" — Alia id genus exempla referre supersedeo.

Huc pertinet, quod quas fabulas et res gestas Vindobonensis aut paucis verbis aut omnino non refert multis Cornutus verbis exponit, veluti I 46 de phoenice, 76 de Cincinnato, 95 de Arione; hic indicat tantum vel adicit *nota est fabula*, *notum est* etc.: quibus locutionibus praecipue ad Vergilium vel potius ad commentarium in Vergilium compositum illum spectantem uti exposui in Philol. l. l. p. 381, unde talibus in locis Vindobonensem conservasse etiam ipsa verba veteris cuiusdam interpretis, qui primum in Vergilium, deinde in Persium commentaria composuisse videatur, loco dicto conclusi.

7) Cornuti commentarium etsi continua oratione scriptum tamen ex scholiis diversorum codicum antiquorum conflatum esse patet. Nam modo interpretationes diversissimas modo simillimas vel etiam easdem paulisper tantum mutatas conseruit ille: id quod saepe vocabulis *item*, *aliter*, *alii etc.* adiectis ipse agnoscit. Cf. I 17. 20, III 26; I 72, II 56, V 52; I 4. 42, II 36. 48 etc. Quanquam etiam Vindobonensia scholia e variis fontibus fluxerunt, tamen non talem farraginem praebent qualem Cornutus. Quod quo magis perspicuum fiat et quo rectius de utrisque scholiis iudicium fieri possit, non absonum erit utrorumque specimina iuxta se ponere.

Cornut.	Vindobon.*)
IV 49. ‚*Puteal* vicus est apud urbem, ubi foeneratores debitoribus pecuniam credebant. *Puteal* autem dictum est, quod ibi debitor, creditori dans bona sua, tanquam in puteum mittat. *Vibices* dixit cicatrices ἀλληγορικῶς, quod foeneratores debitoribus suis usuras innovantes tanquam vulnerum in eis cicatrices aperiant. *Flagellas* dixit, id est ad exigendum eos commoves. Haec omnia faciens, frustra opinioni vel existimationi popelli credulas	IV 49. ‚*Puteal* uicus est apud urbem, ubi foeneratores debitoribus suis pecuniam

*) Et hic et in sequentibus, quae exempli gratia proferentur, id curabo ut *scholia Vindobonensia cum ipsis mendis in conspectu sint.* Nam eo modo de insigni libri conditione melius iudicari potest; Cornuti autem quae exscribentur, mendis scripturae purgata, ex Ottonis Iahn recensione sunt: qui quot libri mscr. quem sequitur menda deleverit in sua editione non enumeravit, sed innumera fuisse satis significavit.

Cornut.

aures accommodas. Quid enim ad rem pertinet, si vitiosis moribus sumus et sine ratione ac modo vivimus? Tunc bonum te, inquit, cives iudicabunt, si contemnes pecuniam, incorrupte vixeris. Foeneratores ad puteal Scribonii Libonis, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum consistere solebant. *Puteal* autem dictum est, in quo foeneratores deambulabant. Est hypallage, id est sensus conversio. Non puteal flagellas, sed debitores, qui illo conveniunt. *Multa vibice*, id est multa et gravi usura. Siquidem ut vibices, hoc est, plagarum cicatrices, faciunt homines recordari, ita usurae, damnum patrimonii facientes, cogunt mendicare debitores. *Vibice flagellas*, asperas usuras pecuniae. *Vibices* sunt plagarum tumores ac livoris vestigia. Vel *vibicem* dicimus genus arboris lentae, quod vulgus *biduvium* vocat.'

IV 28. ,Qui quotiens diem festum aratro fixo in compitis celebrat, timens seriolam vini aperire, acetum potat. — *Compita* sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrant. Merito *pertusa*, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta. — Aut *compita* proprie a compotando id est simul bibendo: *pertusa* autem, quia pervius transitus est viris et feminis. — Vel *compita* sunt non solum in urbe loca, sed etiam viae publicae ac diverticulae aliquorum confinium, ubi aediculae consecrantur patentes: ideo *pertusa ad compita*; in his fracta iuga ab agricolis ponuntur velut emeriti et elaborati operis indicium, sive quod omne instrumentum existimatur sacrum. — Vel *compita* dicuntur, ad quae plura itinera competunt.'

Vindob.

credebant. *Puteal* autem dictum, quod ibi creditor debitori dans bona sua quasi in puteum mittit. Foeneratores ad puteal Scribonis Licinii, quod est in porticu Iulia ad Fabianum, arcum consistere solebant. — *Multa uibice*, id est multa et gravi usura. *Vibices* autem sunt cicatrices plagarum. — *Puteal flagellas*, ypall. Non enim puteal flagellatur, sed homo. — *Vibices* dicit cicatrices *allegoricos*, quod foeneratores debitoribus suis usuras innouantes tamquam uulnerum in eis cicatrices aperiant.'

IV 28. ,Qui quotiens diem festum aratro fixo in compitis celebrat, timens seriolam uini aperire, aceto potatur. — *Compita* autem loca sunt in quadruuiis quasi turres, ubi sacrificia, finita agri cultura, rustici celebrabant*): *pertusa*, quod per omnes quattuor partes pateant, quia uarius transitus est et uiris et feminis, uel quia in his iuga ab agricolis ponuntur, ueluti emeriti et elaborati operis indicium, siue ut omnes instrumentum existiment sacrum.'

*) Ut hic Vindobonensis imperfecto, Cornutus praesenti tempore utitur *(celebrabant: celebrant)*, sic aliis locis Vindobonensis tanquam de aequalium more loquens praesens habet, Cornutus autem imperf. e. gr. Schol. ad V 119 *postulant: postulabant*; I 29 *celebrantur: celebrabantur*.

Sed ut chartae parcatur et quo maior aliorum speciminum copia adici possit, quicunque hanc rem persequi velit remittatur is ad Ottonis Iahn editionem, ut ipse comparet cum Cornuti scholiis scholia Vindobonensia haecce*):

I 58 (*O Iane* etc.) ,Ianus est sapiens qui duas habet facies nec poterit derideri, nec ei a tergo fieri sanna. — Tria sunt genera sannarum: aut manu significat ciconiam aut auriculas asini aut linguam canis'. — (*Pinsit*) ,assidue percussit.' — 59 (*Nec manus* etc.) ,apposito temporibus pollice'. — (*Mobilis*) ,facilis.' — (*Albas*) ,docte asininas.'

I 76 (*Brisei*): ,Brisare dicimus exprimere, unde Liber dicitur Briseus ab uuis expressis, uel ex nomine nymphae quae eum nutriuit, uel ideo quia barbatus colitur, unde duae statuae eius erant: una quidem hirsuta, quae dicebatur Brisei, altera lenis, quae dicebatur Lenei. Briseus Liber pater eo quod ipse mellis usum primus adinuenerit: nam brisin iocundum'.

I 131. (*Nec qui abaco* etc.) ,Nec ille sit mihi auditor qui, alienus a litteris liberalibus, deridet geometricam, stultus et paratus gaudere de uanis et inutilibus'. — (*Abaco*): ,in mensa geometricorum, ubi formas et mensuras secto puluere faciunt'. — (*Secto*): ,diuiso'.

III 10. (*Capillis* etc.) ,Ambiguitas est: aut enim *bicolor* membrana, quae quondam capillos, aut quae bicolor facta est, ut posuit capillos'. — (*bicolor*) ,quod pars crocea pars glutinata'. — 13. ,*Sepia* pro atramento posuit, quamuis non ea ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum: propter colorem ergo posuit, quia sanguis huius piscis niger est'.

III 26. 27 (*Cultrix*) ,usitata in foco'. — ,*Cultrix foci* quasi integram domum dicit ut „hortor amare focos“ [Verg. Aen. III 134] — (*Secura*) ,securos faciens uel ille quasi securus et sine debito'. — (*Hoc satis*) ,Et hic quasi antipofora [ἀνθυποφορά], quasi ille respondet'.

IV 24. (*Mantica*) ,pera'. — ,Esopus apollogorum scriptor dicit unumquemque hominem duas manticas ferre uitiis plenas, et in ea quae ante pectus est aliena uitia, in ea quae a tergo, sua: unde uenit ut alterius potius delicta quam nostra uideamus. Merito ergo Persius ait praecedenti tergo i. pectore, ubi aliena uitia cernimus. Tractum ab Esopo qui *** ΛΟΠΟΥΡΙΟС ΦΙСΙΟΤΗΟΥС [= Zopyrus φυσιόλογος] de uultu hominum mores agnoscebat, qui cum ad Socratem ueniret, ait ei: libidinosus es. At ille: sum, inquit, libidinosus, sed meum est ipsam libidinem VINCERE.'

V 52. ,Varios homines exprimit et quasi reprehendit et [ut] uultus esse dissimiles, ita actus diuersos esse, ut Horatius: „quot capitum uiuunt, totidem studiorum milia,“ et Terrentius: „quot homines, tot sententiae.“ — 53 (*Velle*) ,Hoc dicit: cum uariae sint uoluntates hominum et diuersa proposita, optimum est tuum eo quod imbutus hortor etiam caeteros affectare'. — (*uiuitur*) ,ab hominibus'. — (*nec—uno*) ,Virgilius: „trahit sua quemque uoluptas.“

*) Nihil in scholiis Vindob. mutabo, nisi quod nomina propria litteris maiusculis scribam. Quae uncinis lunatis inclusa erunt, non leguntur in ipsis scholiis, sed sunt vocabula ea ad quae scholia certis signis a librario nostro remittuntur.

Cornut.

I 99. ,*Torva Mim.* Dixit εἰρωνικῶς, carmina poetarum illius temporis plena graecissationibus nullum habere intellectum, quae tamen cum nescio qua modulatione resonent. — *Mimallones* dicuntur ministrae Liberi patris ἀπὸ τῆς μιμήσεως, id est, ab imitatione furoris dictae. Unde et *maniam* dicimus quasi mamiam (!) et per compositionem quasi εὔμιμον nominamus. — *Torva Mimalloneis.* Hi versus Neronis sunt, et huic sunt compositi. Calandrus Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit. Macedones cum parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis et thyrsis in modum baccharum ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare discesserunt. — *Mimallones* autem dictae ἀπὸ τῆς μιμήσεως, quod imitarentur furorem Liberi. Dicuntur autem bombisonae et Mimallones. — *Bombus* autem sonus est tubarum raucus, nec valde auctus. Idcirco in sacris Liberi patris bacchae hos sonos tubarum faciunt, quia primus triumphavit, primus militiae ordinem dedit et docuit. Ipse autem Persius finxit hos versus, velut alii dicunt, in aliorum imitationem, quorum scripta sonum grandem habent, sensum nullum.'

Vindob.

I 99. ,Hii uersus Neronis sunt. Calandrus Illiricorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit. Illirici cum dimicarent cum Macedonibus et iam plurimam partem exercitus amiserant, mulieres suas cum coturnis et tirsis ornauerunt in modum bachantium. Sicque illi credentes exercitum aduentare fugiebant. — *Mimallones* dicti sunt a potu mineseos [ἀπὸ τῆς μιμήσεως], quod imitentur furorem Liberi. Dicuntur et bombisonae. — Finxit autem Persius hos uersus [*in eos*] quorum scripta grandem sonum habent, sensum nullum. — *Bombus* autem sonus est tubarum raucus nec ualde auctus.'

8) Quae igitur Cornuti praedicatur continua oratio, eam nihil esse nisi *glossarum* et scholiorum quae ad marginem codicum antiquorum adscripta fuerint conglutinationem quandam admodum ineptam id exemplis modo propositis satis demonstratum. Inter fontes autem ex quibus ille hausit non infimo loco habendus est is qui in Vindobonensi purior etiam atque minus ut ita dicam limo turbatus fluit. Etenim quae in Vindobonensi exstant nondum inter se coniuncta, sed separata, ita tamen ut vel supra ipsa verba quae explicantur posita sint vel certis signis ad ea remittantur: ea saepissime ille simpliciter inter se coniunxit adiectis vocabulis *sed* (I 1), *autem* (I 4. 7), *et* (16. 29), *et bene dicit* (20. 30. 40) etc. Cf. Philol. l. l. p. 383. Saepius vero latius ea perscripsit vel ineptiis cumulavit.

Vindob.

VI 26. ,*Occare* est glebas caedere ac ligonibus frangere. Dicta quasi occultatio, quod quasi cooperiat semina.'

Cornut.

VI 26. ,*Occare* autem est, cum rustici, satione facta, bobus dimissis, grandes glebas caedunt ac ligonibus frangunt. Dicta *occatio* quasi occultatio, quod quasi cooperiat semina.'

Vindob.

VI 27. ,*Ast uocat officium* id est lex humanitatis uel philosophiae, quae praecipit egenti uel naufrago succurrere.'

I 50. (*Atti*) ,Labeonis, qui sic fedissime composuit Iliadem ut nec ipse intellexisset, nisi elleboro purgaretur.'

I 59. (*Nec manus* etc.) ,apposito temporibus pollice'. — (*mobilis*) ,facilis'. — (*albas*) ,docte asininas'. 60. (*Siti*) ,Apulia est aestuosa'. — (*tantae*) ,in tantum prolatae'. — (*Vos, o patricias* etc.) ,O genus nobilissimorum senatorum, id est quorum uita exemplum debet esse. — Vos qui non sentitis a tergo uos derideri et qui non estis Iani date operam ut irrideamini'. — 62 (*sannae*) ,subsannationi. *Sanna* est os distortum cum uultu'.

Cornut.

VI 27. ,*Ast vocat officium* id est humanitatis lex aut certe philosophiae, quae hoc praecipit et magno cum sumptu dicit egenti vel naufrago debere succurrere, qui substantiam suam una cum votis naufragio perdidit.'

I 50. ,*Accius Labeo* poeta indoctus fuit illorum temporum, qui Iliadem Homeri versibus foedissime composuit, ita, ut nec ipse poeta intellexisset, nisi helleboro purgaretur.'

I 59. ,*Nec manus mobilis*, id est facilis, docta. *Auriculas albas*, id est asininas: nam sic stulti ridentur. Apposito temporibus pollice imitantur aures asini aliis digitis, quasi sannam facientes. *Auriculas albas*, stolidos esse hoc proverbio significatur, ex quo fabula quoque prodidit Midam animi stolidi asinarias habuisse aures, quas *albas* dicit per synecdochen. Est enim interior pars aurium alba, ut populum quoque dicimus albam, quod utique folia eius alba sunt una parte, alia parte viridia. — 60. Aut protendunt linguam, quantum *Apula canis* multa siti. Et bene Apulam canem dicit, propterea quod Apulia aestuosa est. Etiam hoc genus ridendi est. — *Tantae*, id est tantum prolatae. 61. *Vos, o patricius sanguis*, vos igitur nobili loco nati, quorum vita ex [*sic!*] debet esse, qui videre quid a tergo fiat non curatis, date operam ut non irrideamini! — 61 sq. *Quos* uivere fas est occipiti caeco, id est, vos quos fas est in occipitio oculos non habere. *Occipitium* dicitur posterior pars capitis, *sinciput* anterior. Ac si diceret, qui non sentitis vos a tergo irrideri. *Posticae occurrite sannae*, id est irrisioni; qui non estis Iani nec potestis a tergo risus videre, nolite vos irridendos praebere. *Posticae* i. e. post factae. Antiqui ita fores templorum vel aedium dixerunt anticas et posticas. *Posticae* ergo *sannae*, quae fit a posteriori parte. *Sanna* autem dicitur os distortum cum vultu: quod facimus, cum alios deridemus. Inde *sanniones* dicti, qui non rectum vultum habent'.

Alia scholiorum Vindobonensium specimina, cum quibus ipse Cornutum compares sis, haec sunt:

I 22. (*Tun'*) ,pro tunc.' — (*uetule*) ,stulte.' — (*auriculis*) ,Scribis tu non quod te delectat, sed ut plaudatur tibi a pueris euiratis, ideo laboras, palles, ocia tibi denegas. Satirice dixit *uetule*, non senex: yronic uerba poetae ad quem scribit. — *alienis* aut auriculas alienas passcis, aut auriculas alienas pasceris.' — 23 (*auriculis*) ,dico. Vel spurcissimis, quibus postea insultabis et dices: *perditus cute ohe!* id est uigiliis et sollicitudine aut senectute pallidus. Vel manifeste cute perditus, ut uicium quod intrinsecus habes etiam in cute possis habere. Stomachosa admiracio est *ohe*, interiectio cum admiracione*) percuntantes [= *percuntantis*].

I 71. (*Artifices*) ,idoneos, doctos.' — (*saturum*) ,plenum omnibus rebus.' — (*ubi*) ,s. sunt.' — (*laudare*) ,Fertilem agrum dicit, qui in necessario habet et corbes et porcos et palilia. *Palilia* dicit diem festum Palis, quo incenso foeno ludibundi rustici saliebant, qui expiare se hoc sacrificio credebant.' — 72 (*Porci*) ,spurci.' — (*Palilia*) ,dies sacer in honore Iliae, quae peperit Remum et Romulum, et dicimus *palilia* quasi *parilia*. — Diem festum dicit in honorem Palis deae. Nam in honorem eius ante stabulorum hostia foenum incendebant quasi inde purgarent se. Palilia tam priuata sunt quam publica, et est genus hilaritatis et lusus.'

I 102. ,*Euion:* uox bachantis est, quo nomine Liber pater uocatus est, quia pater eius in Giganteo eum mortuum existimans dolenter dixit *eu:* et est uox dolentis, deinde addidit *ion* [= υἱόν] i. e. filium miserum. Inde compositum est nomen *Euion*.'

III 65. (*Venienti*) ,Satius est uenientibus morbis occurrere, quam post morbos sera remedia quaerere. *Craterus* Augusti temporibus nobilis fuit, per quem accepit medicum.' — (*Magnos* etc.) ,in prouerbio *aureos montes*. Grandia enim promittunt qui in periculo sunt.'

III 20. (*Suffla*) ,Extende te, id est intumesce nobilitate et iacta te Dinomachis et Clieiae [= *Cliniae*] filium.' — (*Esto*) ,Consentio te diuitem esse et formosum, dum [a] te non minus intellegat Baucis pannucea, quae, quotiens ocymum id est ungentum uendit, non sine modulatione uocis uendentis clamat. — *Pannucea* pro pannosa, id est pannis obsita. — *Baucis* i. nomen fictum. — Dicit etiam hoc, summum bonum esse caenandi anum esse dicturam.'

9) Non optimos libros Cornuto, cum quae ad sua commentaria idonea esse ipsi viderentur perscriberet atque congereret, praesto fuisse ex iis quae hucusque exempla proposui colligi iam licet. Namque haud raro Cornuti verba omni sententia carent: Vindobonensis vero locis corruptis ipsis medicinam affert. Moneam tantum de I 19, ubi Cornutus: *cum eadem ratione*, Vindobonensis: ,cum admiratione' habet; — I, 61, ubi Cornutus: *quorum vita ex debet esse*, Vindobonensis: ,quorum vita exemplum debet esse.' Alia satis multa exempla habes in Philol. l. l. p. 383, quibus nunc pauca etiam, quo melius utraque recensio comparari possit, adiciam.

*) Apud Cornutum: ,cum eadem ratione!'

Cornut.	Vindob.
V 186. ,Ordo autem praedictorum versuum hic est: Tum nigri lemures ovoque pericula rupto: Tum grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos.'	V 186 ,Ordo uerborum est: Tum nigri lemures incussere deos, ouoque pericula rupto, tum grandes Galli'. *[Cornutus nihil explicans versus Persii nihil mutatos rescripsit.]*
I 12. ,*Sed sum petulanti splene cachinno.* Id est, non me contineo; lascivior fio risu. Et hoc dicit: Date mihi veniam; talis sum naturae, ut rideam. Et hoc secundum physicos dicit, qui dicunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere, et pulmone iactari'*) [!]	I 12. (*Sed* etc.) ,uel talis naturae sum ut rideam luxuriose; non me contineo lassciuiore risu. — (*Splene*) secundum phisicos dicit, qui dicunt hominem splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere'.
I 13. ,*Scribimus inclusi.* Aut ordo est verborum: Cum ad canitiem venerimus, tunc scribimus inclusi: aut ad poeticam artem retulit, quod ait *inclusi*, cura remoti, aut metri lege coarctati. Ab hoc ergo loco incipit de malis poetis loqui. — *Numeros ille.* Numeri proprie rhythmi sunt, nunc vero metrum significat. – *Hic pede liber*, id est, prosaicam orationem componens: quamvis Cicero praecipiat prosaicam orationem ita componendam esse, ut etiam certis quibusdam pedibus et fiat et terminetur.'**)	I 13. ,Aut ordo uerborum est: cum ad caniciem uenerimus, tunc scribimus *inclusi:* ad poeticam artem retulit *inclusi*, uel ab omni causa remoti, aut certe metri lege'. — (*Numeros*) ,uersus'. — (*Pede liber*) ,sine pedebus, prosam'.
I 96. ,*Arma virum, nonne hoc spumosum.* Quaeritur de iis, qui carmina Virgiliana reprehendunt. Nonne, inquit Persius, in hoc est laudandus Virgilius, quod ita inchoavit: *arma virumque cano?* Quid habet in se iocunditatis vel laetitiae? Εἰρωνικῶς dicit, carmina Virgilii arida videri, et eius versus horridos nihil laetitiae habentes, placere autem ea, quae ipsi vitiosissime scribant Graecis decorata nominibus, quae ita molli et flexa cervice de-	I 96. ,Quaeritur de his qui carmina Virgilii reprehendunt. Nonne, inquit, laudandus est Virgilius, quod ita inchoaverit: *Arma uirumque?* Dicit autem carmina Virgilii horrida uideri et horridos uersus nihil laetitiae habentes, placere autem ea quae ipsi uiciosissime scribunt grecis decorata nominibus'. — (*Nonne hoc* etc.) ,Hoc ita asperum est, ut spumam videatur emittere; ita etiam durum est hoc inicium ut cortex arboris'.

*) Cf. Iahn. schol. p. 250 Not. 3.

**) „Quae ita apud Ciceronem non inveni." O. Iahn, p. 250.

Cornut.	Vindob.
beant legi, velut versus, qui sequuntur. Non ita asperum carmen est, ut spumam remitteret? Ego puto ita durum esse hoc initium, ut corticem arboris vetustissimae.'	
III 49. ,*Angusto collo non.* Collo amphorae ex distanti loco ait nuces mittere, ut manus non erret, qui ludus ubique celebratur, et ita praestat, ut extra collum missae nuces non colligantur; ludo (?) nucum circa orcae collum ponitur, et qui certo iactu iacit in eodem collo, victor existit. – *Orca* est amphorae species, cuius minore vocabulo *urceus*, diminutivo *urceolus* est.'	III 49. (*collo*) ,giro'. — (*non fallier*) ,ut manus non erret'. — (*orcae*) ,inde *orceus*, hinc *orceolus*. — *Orca* species est amphorae, quae in ludo nucum ponitur, in quo qui in agusto [= angusto] orcae collo certo iactu iacit ipse uictor existit'.
V 177. ,*Cretata ambitio,* quasi pulchra et a superficie illita, largiendo honores a populo mercatur, quibus honoribus innotescat.' ,*Vigila et cicer iugere.* Sparge igitur, inquit populo cicer. Hoc enim in ludis Floralibus inter caetera munera iactabatur, quando terrae ludos colebant et omnia semina super populum spargebant, ut tellus veluti visceralibus suis placaretur. Et hoc dicit: Perfice ista omnia, ut sic in memoria hominum sint, ut etiam a senibus memorentur.'	V 177. . . . ,Praecipue tamen ei blanditur *cretata ambicio* i. quasi pulchra et superficie illata, ut largiendo honores a populo mereatur, quibus innotescat'. — (*Cicer*) ,Sparge cicer, inquit, populo. Nam in ludis Floralibus omnia semina spargebantur super populum, ut tellus velut muneribus suis placaretur. Ludos enim terrae colebant. Hoc ergo dicit: Perfice omnia ista, ut sic in memoria hominum sint'.
V 167. ,*Euge puer sapias.* Hoc est: sacrifica diis depulsoribus, qui te inde depellunt vel arte *[sic!]* mala coercent; aut hoc intelligi potest: Diis sacrifica, cum te dii depellant ab hoc turpi et damnoso amore meretricis.'	V 167. (*Depellentibus* etc.) ,Sacrifica diis, cum te ab hoc turpi amore, uel certe depulsoribus diis sacrifica, qui te inde depellant, uel a te mala coerceant'.
V 58. ,*Lapidosam chiragram* dicit articularem morbum, id est dolorem manuum, quia chiragricorum articuli tubercula habent, quae lapidis duritiem exercent et sunt ramorum fere tumidorum similitudine pares. Legitur et *curvaverit* (?!), sicut ventus arbores, vel earum ramos. Vel quia dicuntur chiragricis lapides	V 58. ,*Chiragra* articularis morbus est, infirmitas manum: Quae cum manus tenuerit, eius humor in lapides convertitur et digitos frangit et tortuosos facit, ut sint similes fagi veteris ramis. — Chiragricorum articuli tubercula habent, quae lapidis duritiam exercent et

Cornut.	Vindob.
inter artus, id est inter nodos, exire. Artus enim membra sunt maiora, unde *articuli* dicti; qui morbus cum manus tenuerit, eius humor in lapides convertitur, et digitos frangit ac tortuosos facit, ut sint similes tortis ac veteribus ramis fagi.'	sunt ramorum fere tumidorum in similitudine pares vel quia dicuntur chiragricis lapides inter articulos id est nodos exire'.

Quod dicit Cornutus pro *fregerit* legi etiam in Persii versu Sat. V 59 *curvaverit* satis demonstrat qualia fuerint poetae exemplaria ex quibus iste hauserit; nam nullo pacto *curvaverit* in metrum quadrat.

10) Postquam tanta exemplorum copia ex adverso est posita, iam neque Cornuti genus dicendi cum libri Vindobonensis verbis conferre neque multis exponere opus est Cornuti verba multo magis aevum quod vocatur medium sapere, quam verba Vindobonensis. Sed ne haec res singulari suo exemplo careat, unum dumtaxat rescribam.

Cornut.	Vindob.
I 95. ,*Longum* igitur *Apenninum*, non quod a superi*ori* mare ad infer*ius* extenditur, sed quia duobus spondeis termin*a*tur.'	I 95. ,*Longum Appenninum* non quod a super*o* mari ad infer*um* extenditur, sed quod duobus spondeis terminetur.'

11) Tametsi Cornuti scholia alterum tantum spatii quantum Vindobonensia occupant, tamen in his multae res exstant quas in illis desideras. E. g.

I 16. ,*Sardonyx* est gemma preciosa, dicta a sardia [= sardo] et onice [= onyche] quod utriusque colorem habeat; quam in anulis suis Romani ferre solebant, et est nigra, candida et rubra.' Cf. Plin. N. H. 37, 23 ss.

V 88. ,*Rubrica* id est norma: haec est lex Masuri. Ipse enim Masurus fecit legem contra audaciam puerorum.'

I 29. ,*Cirrati* sunt scholastici uel catamiti: *cirri* enim dicuntur capilli; et illi crines habebant in honorem Veneris, quos statuto tempore metebant et igni deae Veneris consecrabant.'

I 130. ,*Emina* est mensura continens dimidium sextarii: *edilis* dicebatur, qui praeerat curis edium. Est etiam *emina* minus uas uel inaequalis mensura.' Cf. Festus.

II 70. ,*Pupae* statunculi, quos puellae de uestibus suis faciunt in honorem Veneris, quod deuirginandae sunt.' Cf. Otto Iahn comment. in Pers. p. 139.

V 95. ,*Calon* grece, lignum latine. Calones sunt serui militum lignarii, uidelicet ex eo ligno quod *lisca* dicitur, et hi similiter *liscae* [= lixae] dicuntur.'

IV 8. ,*Quiris* lingua Sabinorum hasta dicitur; inde Romani a Romulo, qui hastam semper in manu gestabant [gestabat], Quirites dicuntur.' Cf. Serv. ad Verg. Aen. I 272. cf. Isidor. IX 2.

V 76. (*Vertigine*) ,quia manus missione serui liberi fiebant per praetoris uertiginem h. e. per capillos semel uertebantur et dabat eis unam alapam, et post liberi fiebant.'

V 126. ‚*Strigiles* dicuntur illa uellaria unde athletae post laborem terguntur. *Strigil* grece; pecten latine. Strigilas genus piscis uel strigil dicitur lignum quo athlethae sudorem tergebant aut pro sabano hoc dixit h. e. linteamen quo se balneati tergebant.'

VI 50. ‚*Artocreae* fiunt ex pane et carne: *artos* graece panis, *crea* caro.'

I 37. ‚*Cippus* est lapis uel lignum quod sepulchris superponitur.'

I 14. ‚Ferunt phisici quod ex pulmone flatus accipitur et remittitur in modum follis.'

Post *prologum:* ‚Videns Persius multos libidinari in scribendo ad hoc tantum ut fauorem et laudem populi adquirerent, reprehendendo cum indignacione inchoat ex abrupto. Nam ante philosophiae studuit apud Bassum primo, deinde apud Cornutum.'

Sed exemplorum satis superque.

Scripsit Conitii mense Iulio anni MDCCCLIX ANTONIUS GOEBEL.